



RECTOR ACADEMIÆ
JENENSIS
**AUGUSTINUS HEIN-
RICUS FASCHIUS,**
Medic. D. Anatom. Chirurg. & Botan. Profes-
sor Publicus, Archiater,
Saxonicus,
AC PROFESSORES RELIQVI,
Suæ Civitati S. D.

JENÆ,
Typis NISIANIS.



Efficax primo sui sensu stimulus, ac dignus umbrâ patriâ Scipionis, Africano in Siliî Italici *Lib. XIII.* infigitur: *Ipsa etiam, virtus sibi met pulcherrima merces. Dulcè tamen venit ad manes, cum gloria vitæ durat apud superos; nec edunt oblivia laudem.* Quamvis enim, per Stoica Placita, decore sat refulgeat suo tranquilla, virtus, quam nec aura gloriæ ventosa tollit, nec repulsa deprimit veris ovantem & acquiescentem bonis: Illam tamen procuratque ambit volens secunda fama, calcar indolis bonæ: comisq; laus, ut umbra corporis comes, animos adulat, qui vel artibus togæ vel Martiali florere adorea. *Symbolum* ejus judicii, post alia nobilitatæ virtutis simulacra, *Pavonem* accepimus; quem *φιλοκαλία* s. elegantia cura, soli adnitescenti mirè conciliet, sic sensus blandè commendantis, & amor sociam illecturus; ut totum sese explicet ad spectu juxta gratioso & mirabili. *Pluma vestis enim de cataclitis: imò omni conchylio pressior quâ colla florent: & omni patagio inaurator, quâ tergâ fulgent: & omni syrmate solutior, quâ caudæ jacent. Multicolor, & discolor, & versicolor. Nunquam ipsa, semper alia; etsi semper ipsa, quando alia. Toties denique mutanda quoties movenda.* Verba Tertulliani de *Pallio* c. 3. Eundem formæ principatum, Varrone arbitro, certatim & Græci & Orientales celebrant. E quibus Anonymus poëta Arabs apud Bochartum *Hieroz. P. II. Lib. I. c. 20.* gloriam creatori tribuit *ob avem, sponsæ similem: In adibus ejus plures Soles oriri. Super verticem arbusculam eminere, crinitam Plinio H. N. Lib. XI. c. 38. ac velut in janthinâ veste cum pompâ incedere.* Junoni igitur reginarum cælestium dominæ, s. æris multiformibus gratiis sacatur; ac Magno Asiæ domitori tanti fit, ut incolumitas ejus capite violentis sanciat, indice Æliano. Dignus planè, qui Salomonica classis ex Ophire pretia instruat. At, quæ Cardanus cum vulgò injecit, ut obnigraret, illustris Scaliger sale suo defricat *Exercit. CCXXXIX. Virtutem perinde radiosam ac si sensui pateret, Sole ipso speciosorem meritò contendit Sapiens; ut prurium sui tanto acriorem excire & generosam mentem sibi mancipare possit. Nedum si gloria, cujus cupido etiam sapientibus ultima exiit, auctarium sui eximium addat. Christianæ quoque innocentia nudum decus non abhorret, quin blandâ Siren laudum alliciat in semitam probati exempli. Sic in mediâ ecclesiâ lucere facta illustria, Pharique ad instar obversari evagantibus convenit; quibus ampla in diribitorio divinæ gratiæ compensatio eò certius reservatur. Specimen, cui uterque sexus advertat animos, præter illustria ex probâ antiquitate nomina, longè clarissimum hic dies exhibet, tam æstimo exquisito dignum, quàm arduum imitatu. Adeste enim *Cives Nostri*, & quo ducit sublimis exempli via, ad hoc decus prodite, in Nobilissimâ fœminarum DN. CATHARINA ZERSE-NIA; quam summè generoso & illustribus meritorum titulis excellentissimo, DN. FRIDERICO von Kospoth/in Scubtendorff/Saxo-Vinariensis Sanctioris, Cameralis & Aulici Senatus Principi & Directori, ut Judicii Provincialis Præsidi, Jenensis Urbis & Districtus Capitaneo, Perpetuoque ad Academicas Festivitates Legato (quem, à supremis D. 27. Jun. Anni 1700 XXXII. publico nostro elogio decoratis, honorificentissimè jam repetierimus) olim nuptam; inde vidui thori memoriam sanctissimis moribus per tot annos ornantem & publice & singuli percoluimus; implèsse mortalitatem scitote; si, quæ parte sui meliore super alta perennis astra, evasit, ævi incerti spacium emensa, mortua dici possit: Fœmina in tantum laudanda, quanta hominum illo sexu, perfectio intelligitur. Adeo tot nobis obferunt sese & agmine obruunt, ut Peplo Minervæ, cui beatam per officium solenne intexere satagimus, tota non capiatur; nec persequi, ut ortus, habitus, indoles, vitæque prima, media & ultima inclarescant, in hac chartæ angustia, nisi per summa fastigia, liceat. Cuncta quidem ipsi fuere. Pater, Generosus DN. WOLFGANGUS von Zersen/ Hæred. in Lovenau/ Oldenburgicæ Aulæ Magister & Consiliarius; Avus DN. ANTONIUS, Toparcha in Oechtringshausen/ loco Nostræ Natali, & Lovenau/ Consiliarius Schaumburgicus, & Satrapa Buckeburgensis; Proavus DN. WOLFGANGUS, dictæ Oechtringshusæ dominus. Mater ELISABETHA, Nobilissimi DN. JOH. von Thal/in Heimb. F. quæ feminas suæ ætatis pulchritudine supergressa, proli D. 14. Mart. Anni 1700 XCIV. editæ, gloriam pariter & formam dederat, qualem Charicliam Heliodorus suam effigiat, servatis aviæ & proaviæ cum nobilitate luminibus. Opes claritudini generis suffecerunt. Sermo comis; nec minus perspicax, elegans & candidum ingenium. Modestiam non præferre modò sed continuis moribus exequi scivit: Rem simul æconomicam tueri, super ingeniosa suoque statui & animo apta inventa, quæ scitissimè æmulabatur. Hæc verò virginis studia incendit halitu beatiore*

tiore Dei Spiritus, Christianæ *Θεογνωσίας* luce animum tenellum protenus differenans. Nam
 novæ Ecclesiæ civi disciplina melior lætissimum studiorum vitæ fuit, tam non indigæ monito-
 rum, ut sponte anteveniret, suiq̄ue incrementa quotidie exereret: ne, quod virtus, in Pavo-
 ne Solem exortum coloribus suis amplexo, sui ad publicam lucem & favores dignos evo-
 lutione observat, ipsa nativis & quæsitis in se dotibus neglectius conaretur. Talem cogno-
 vit Princeps inclyta, Domina MAGDALENA, Anhaltinæ Domûs thoriq̄ue Oldenburgici ge-
 mino fastigio celsissima; cum adolescentulam in gynæceum traheret, & occulto præstantium
 ingeniorum consensu, sibi sociatam indies ardentius diligeret. Merentem sanè; quæ vitæ
 probitate, ingenio sagaci, & convictûs gratiosi perpetuo tenore præsentiam sui & officia miri-
 ficè edulcoraret: obsequia fide, non specietenus, negotium alacri dexteritate, procul lentore
 & præcipitio, conficeret: humana & facilis æqualibus; majorum, procul servili blanditiâ,
 reverens: longè ab ambitu & crescendi alienis injuriis æstu. abhorrebat innocens animus has
 pestes humanæ vitæ, in aulis plurimum solitas dominari; seque propriis præfidiis communie-
 bat, ne quâ labe talium usquam adspargeretur. Primum igitur virtutis, suos latere non passæ,
 præmium mox tenuit; proximo favore à bonis & illustribus, ad omen eventuræ fortis, quam
 primariam propitium Numen Dei tam piæ, tam honestatis servanti destinârat. Nec mora:
 præcellens hoc fœminarum decus, forte fortunâ oblatum, ut Heros jam laudatus vidit; acris
 ingeniorum æstimator, & ab omni vanitate dudum liberrimus, justo mox & constanti amo-
 re complecti flagrantissimè cepit, summâ arte curaque connisus, ut intimos virginis florentis-
 simæ sensus animumque exambiret. Ergo perlæti, quod in regiâ Principum Jenensi *D. 19. Febr.*
Anno cl. lxx. XXIX. coaluit, & per hospites illustres omniumve ordinum spectatissimos spe-
 ciosi, connubii gratiam nullus dies, nulla hora sine documento deliciis novi dimisit; insigni
 Viri gravibus reipubl. curis exerciti levamine; ut veriùs, ac Otho Salvius de Poppæâ, do-
 mum suam digressurus gloriaretur: *Seire ad illam; sibi concessam nobilitatem, pulchritudinem,*
votæ omnium & gaudia felicium. Respondebat enim condictum fidei & obsequii sacramentum,
 quo Gordio arctius nodo innexi *Pignora* condiderunt, in quæ non corporum una effigies
 magis, quàm excellens animorum decor transfundi dici potuit. Eum Parentibus honorem
 adstruxerunt Generosissimi & Excellentissimi Fratres, *Primus*, ex *D. 27. Septembr. anni ejusdem,*
 DN. WILHELMUS von Rospöth/ in Seubtendorff/ Wölsis & Großstädel Hereditarius, Sereniss.
 Potentiss. & Reverendiss. DNN. Electoris Saxonis, & Administratoris Postulati Primat. & Ar-
 chiefcop. Magdeburg. Consilii Arcani & Cameralis Senator, Redituum Provincialium Dire-
 ctor & Weissenfelsicæ Diæceseos Comes eminentissimus: *Secundo natu*, DN. FRIDERICUS von
 Rospöth/ Toparcha in Seubtendorff & Wölsis/ altissimè memorati Electoris Eniferi Co-
 mes Cubiculi & Consiliarius Aulicus splendidissimus. Verè lucida sidera, quæ *Theocriteus Pa-*
stor novæ nuptæ ostentabat; nec admissura, quam Plutarchus *in Vit. Græchor.* de Castoris &
 Pollucis imaginibus advertit dissimilitudinem, dum tamen ad liberalitatem, temperantiam,
 prudentiam & magnanimitatem similiter ferrentur; pari judicio & successu in administratione
 reipubl. & cæteris rebus ad votum vel casum sequentibus. *Patri*, ut eorum dotes breviter in-
 cludamus, sunt similes. Cui antiquâ virtute & fide Semoni cum & Nostra Academia & di-
 tiones istæ, ipsæque virtutes plurimum debeant, unum hoc & incomparabile decus adscribi-
 mus, *Successores nominis ἰσαμίδης.* Quos verò quàm dulce & decorum fuisset, Patris ipsos ex-
 emplo, monitis curaque gratissimâ enutritos, in eandem virtutem animosque viriles adolesce-
 re? Contra cecidit fati sententia: & hos & lætissimam conjugem viri maximi intempestivus
 excessus in præceps doloris & incommodorum vidui thori barathrum dejecit. Nam & præ-
 gnans relinquebatur afflicta tanto vulnere; ac, licet posthuma FRIDERICA CATHARINA, ut
 nova lux scissâ caligine mæroris justissimi, emicaret, solari jam visa lachrymas optimæ matris;
 illa tamen florentissimo ævi ut *D. 23. Nov. anni cl. lxx. XLIX.* elangvida supremo *δενδνεῖω* paren-
 tem viduam destituit. Generosi verò spiritus mulier, supra divinæ opis fiduciam, ex suapte
 constantiâ præsidium petiit; hinc prudenter moderata domum suam; indè Filios seque
 ab infirmo desiderio & muliebribus lamentis, ad contemplationem virtutum mariti vocavit;
 hujus famam ac figuram animi complecti, suisque ipsos moribus mentis formam æternam ex-
 primere jubens. Sic per totum bellorum intestinorum æstum, mediis tranquilla in undis, fe-
 renitatem animi nusquam confundi passa est. Fidelis Dei ministra, perpetuo & enixo sacro-
 rum studio, humanitate in proximos, benignitate erga miseros, consilio ad petentes, ac pri-
 vatarum maximè rerum arbitrio prudentiæ supra sexum eximia, præsentia orbitati suæ, &
 senectutis paullatim prægravantis incommodis, remedia divinitus obtinere visa; in prole tam
 clarâ, in certâ placidissimæ vitæ temperie, in communi omnium veneratione, quæ Matronam
 Deo & hominibus percharam excepit. Suprema omninò, satias ipsi dierum una, & di-
 gnum æternitatis desiderium tulit. Nam ab aliquot annis, senio jam perlabili, vertigo & de-
 fluxiones motui membrorum & spirituum meatui minabantur, usu loquelæ nonnunquam
 difficili & parum abfuit, intercepto. Istis incommodis mea *Rectoris* medicina, quantumvis sol-
 licita, intercedere ac differre magis fatum, labantibus indies spiritibus & irruente symptoma-
 tum

tum

rum senili marasmo familiarium exercitu, quàm restituere in integrum vires potuit. Nec igna-
ta sui Nostra aut quidquam pavens, se procingere ipsam omisit ad exitum salutarem; dudum
erecto in eam cogitationem animo rebusque apparatis, jam S. Scripturæ in cœtu fidelium ac
domi stans temporibus recitata per certos homines meditatione; jam SS. mysterio Corporis
Dominici, vero illo *ἐφοδίσθη* exeuntium, religiosè suscepto; jam colloquiis pietatis plenis, suam
præstante operam plurimum venerando Protomyſte nostro: A quo, in coronâ circumstan-
tium amicorum, post novissimos sermones *ἠδὲ μὲν θάνατος* mortis incentiva vitæ novæ mirabili-
ter suggerentes, (è quibus ominosum erat præfagium *abitura brevi ad sedes beatas, & anima sua*
Christi sanguine emaculata fidem factura: ac alterum: *ad sacra publica contendentis*, trihorio ante
felicem exitum) supremâ benedictione consecrata & obitu, placidæ quieti simillimo, *Secun-*
da post meridiem Octobris decimi horâ, composita fuit. Implevit adeò quicquid veri & in virtu-
tibus siti boni est. Tot generis tot civilis vitæ ornamentis præditæ quid aliud adstruere for-
tuna poterat? Opibus nimiis nil gavisæ, speciosæ obtigerant. Domo incolumi, prole floren-
tissimâ, salvâ ad omnes gratiâ & honore, potest beata videri, cui è novis patriæ malis tam op-
portunum ad desideratam salutis usuram effugium patuit; hospiti jam cœlitum acceptissi-
mæ & in Conjugis sui Filixque complexibus unicè acquiescenti. Illa solùm cura Nobis im-
ponitur, ut animæ gratiosissimæ hospitium olim perdignum, ad maturam resurrectionis beatæ
spem, *conditorio mariti Filiaq; in Oppidano Templo*, Christianis ritibus quàm decentissimè appli-
cemus. In hoc ultimæ salutationis officium universos qui Nostram autoritatem civilibus ob-
sequiis reverentur, evocamus, & studiosè, ac seriò monemus, ut clarissimæ Familiæ mœstiti-
am frequentissimi stipatus concinnitate, cum Pompa ex *adibus Rolsincianis Horâ I.* procedet, le-
vatum eant. Quantumcunque enim honoris huc contulerint, dignitati superstitum, meritis
præmortui magni Kospothii, & Matronæ rari exempli debitum est. Coronata defuncto-
rum ossa nostris elogiis studioque enixiore allicient divinam in gratos memoresque pristino-
rum beneficiorum propensionem; idemque zelus, ad emerendam nominis virtute provec-
tæ immortalitatem, posteritatem egregiam provocabit. P. P. sub Sigill. Academ. D.

XII. Novembr. Anno Gmtiæ Christianæ clc lxc
LXXVI.




2P

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

4. Juli 1996		
12. Juli 1998		
März 2000		

ok
 2,92^{1/2} La
 18.00
 ok
 2,92^{1/2} La
 KB
 10,2,5
 the-
 ark

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0177589

1.B.8333

